

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Hippias maior.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

aliquo exaratum, oblivioni deinde traditum, pro genuino Parmenidis foetu Platonem habuisse, indeque falsa affinxisse Parmenidi, dicamus.

HIPPIAS MAIOR.

CUM Hippias Sophista, quem dialogo, eius nomine inscripto, supra iam est aggressus Plato, iterum Socrates de natura & notione pulchri disputat, ita, ut nihil affirmet ipse, Sophistam per omnia refellat, ignorantiamque simul cum arrogantia, qua omnia sese scire, & respondere ad interrogata quaevis sese paratum ostendit, ei exprobet. Solet autem Socrates definitionibus libenter ad disputandum cum Sophistis uti: nihil enim in omni philosophia difficilius est, quam accurate, ita ut nihil contra queat dici, definire; unde hodie etiam rarissime philosophi in rerum definitionibus consentiunt. Neque id mirum, cum vocabula ipsa per se sint admodum ambigua, pluraque similia, re diversa, simul significant; cumque, sublata etiam ambiguitate, difficillimum sit adeo accurate simul & perspicue notionum abstractarum partes discernere, & discretas enumerare, ut totam vocabuli vim, notionisque naturam exhaustiant, nihilque obscuri aut ambigui relinquunt. Quod si reputarent secum, qui in philosophiam hodie insurgunt, eamque ut incertam ac lubricam spernunt; reprehendendi impetu cohibito, omnique in iudicando temeritate ac praecipitantia vitata, ad inquirendum philosophos essent hortaturi, & quaecunque inde emergit, etiam minutissima veritatis scintilla, eam lubentes accepturi, reliqua a temporis progressu quieti expectaturi.

Postquam Socrates Hippiam, rerum utilissimarum peritia mire se iactantem, iuvenesque sese meliores reddere

gloriantem, nunquam tamen Lacedaemonem aut profectum, aut accitum, false risit, Lacedaemonios optimarum rerum studiosos nihil parvi facere commemorans eorum, quae ad emendandos iuventutis mores spectant; Hippiam, pulcherrimum a se scriptum de iuvenum educatione librum narrantem, ut, quidnam sit pulchrum ipsum, cuius participatione, quaecunque sunt pulchra, sunt pulchra, sibi explicet, definiatque pulchritudinis in universum naturam, rogat: sese enim nuper nonnulla ut pulchra laudantem a disputatore quodam arreptum obmutuisse; quae itaque ex eo audierit recitaturum, ut hanc ignorantiae maculam Hippias ex animo sibi eluat. Respondet primo loco Hippias, pulchram virginem esse ipsum pulchrum: Socrateque, multa esse praeter virginem pulchra, equum, lyram, olivam, alia, obiiciente; Hippias, haec omnia cum virgine collata pulchri nomine nullo, inquit, sunt modo digna: id quod Socrates redarguit, virginem pulchram, si cum Diis comparetur, pulchram haud amplius esse, unde aliter huic quaestioni esse satisfaciendum. Nihilo deinde melius pulchrum Hippias definit, quo reliqua ornantur, quoque praesente res videntur pulchrae: quo facile a Socrate refutato, quasi nunc demum, quid sit: i vellet quaestio, intelligat, divitiis abundare, prospera frui valetudine, honore affici, pulchrum esse asserit; eoque etiam refutato, propius tandem, praeunte Socrate, ipsamque ei hanc definitionem subministrante, ad verum accedit, pulchrum esse, quod est utile, affirmando; pulchros namque esse oculos, non qui sint inepti, sed maxime ad cernendum apti, eademque ratione pulchra dici alia cuncta, quod sunt ad usus, quibus destinantur, apta; potentia ergo per se ipsa pulchra, impotentia turpis est. Hoc Socrates eo statim refutat, quod potentia ad malas etiam res saepe adhibetur, adeoque ipsa per se esse pulchra nequit. Quod si pulchrum esse ipsum utile dicamus, utile autem quod bonum efficit; statim occurreret nobis, pulchrum ex nostra sententia boni esse causam, adeoque, cum causa necessario differat ab esse-

ctu, pulchrum esse bonum, bonumque vicissim pulchrum, nullo modo posse. Quamquam subtilissima fit haec conclusio; eorum tamen, qui ab utilitate repetunt pulchritudinem, non evertit sententiam: hi enim pulchrum & utile re esse idem, unde recte omne honestum dicatur bonum, & bonum vicissim omne honestum; ratione autem differre, eo quod ad delectationem modo praesentem pulchritudo, ad futuram autem, & deinde efficiendam referatur utilitas, affirmabunt.

Hanc ipsam opinionem examinandam statim proponit Socrates Hippiae haesitanti, nec quid afferat amplius habenti: pulchrum, inquit, recte videtur definiri, quod auribus & oculis volupe est; in hominum enim aliarumque rerum formis & figuris, in picturis, & statuis, in musica denique, & sermonibus pulchrum praecipue habitat. Sed obstat huic, quod in legibus, hominumque studiis & vitis inesse pulchrum etiam dicitur; quod in rebus gustu, tactu, odoratuque perceptis pulchritudo etiam deprehenditur; quod cum iucunditate pulchrum definiatur, nulla plane, ob quam sensuum quorundam voluptates reliquis anteponantur, causa est, ut his solis tribuatur pulchritudo; quod denique cum differat ab auditu visus, & quod auditur simul non cernatur, commune aliquid oportet esse, ob quod rebus auditu & visu perceptis tribuitur pulchritudo, aliud ab ipsa delectatione. Intellegitur hinc, Platonis iam aetate viguisse recentiorum quorundam opinionem, pulchrum sensibus exquisitioribus & accuratius res distinguentibus, visu & auditu, percipi docentium, eamque eius esse naturam existimantium; contra quam gravissime Plato, & ita simul disputat, ut, qui sese extricent, vix putem eos reperturos.